



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinqve**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXII. Qualis erga Deum Ignatius, ac primum de Dei fiducia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Nunc eo nos rerum progressus induxit, vbi erga Deum qualis Ignatius fuerit spectemus; inde quo pacto ad fruendum illum pretiosa morte peruererit. Atque hic imprimis admirari subit quam æquatis perpetuo vicibus, & filij more Deo confisus sit, & paterno affectu ab eo defensus. Fuit vita Ignatij à conuersione ad exitum, ærumnarum catena, ex periculis, & calamitatibus conserta, velut totidem annulis, & vicissitudo laborum continua, nonnunquam etiam eorundem pertinax, & longa perpessio, egestas summa, cruciatu[m] morborum, insidiae aduersantium, desertiones amicorum, odia publica, probrosæ accusationes, vincula, lites, lethalia verbera, & illud denique per omnem vitam *quotidie morior*, tametsi variis moriendi figuris, in quibus tamen haud usquam timidior eius securitas, vel animi quies turbatior, quam si vitam egisset in Edeni horti deliciis beatam. Hac nimisq[ue] ex crusa quod non modo pro Deo tot & talia toleraret, in quo ut amoris, sic iucunditatis summa, & cardo est; verum quod cum Deo illa etiam perferret, hoc est paternæ ipsius tutelæ securus adeò, & certus, ut omnem sui in eum deponeret curam; quicquid autem aduersi contigifset, totus vellet ex eius nutibus pendere, à quo tam posset facile id depelli, quam esset piè atque benevolè illius sibi consilio, & prouidentia consicutum: quo modo ait Augustinus, faculam, aut sursum recta extuleris, aut inflexeris deorsum, planèque inuerteris, flammæ semper acumen sublime vibrare. Nec sustinendis modo molestis, & tristibus, sed suscipiens quoque magnis, & arduis, spes omnes habebat confisione integra in Deo defixas, ut qui humanitus, ex consuetis agendi præsidii futuri exitum ariolabantur, temeritati facile tribuerent, quod plena Dei fiducia aggrediebatur; solitus dicere volenti grandia in Dei obsequium præstare, cauendum maximè ne nimium saperet, suumque unius cerebrum, & manus; industria scilicet, virésque consulueret: hæc si consuluisserint Apostoli, numero pauci, scientiarum rudes, aspectu contemnendi, nunquam magnum illud omnique potentiaz incluctabile, de orbe expugnando, de regibus, & sapientibus cruce domandis, Christoque subdendis fuisse aggressiuros, sed hoc ausos maiora & animosiùs, quod se iis impares nouerant, certi se illius numine rem gesturos qui *eligit humiliter natos, inbornatos, illiteratos, ut quicquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret*. Ab hac Ignatij securitate philosopha, incredibile sit quantos spiritus Xauerius hauserit, hæc imbutus Indias petiit, de hac inde in Europam sic scribit [Semper animo obuersatur quod ex optimo patre nostro Ignatio frequenter audiui, hominibus de Societate modis omnibus enitendum, ut propulsarent ab se metus illos quibus auerti se ab integra Dei fiducia sentirent.]

Fiduci huius, diuini securæ præsidij, monumentum illustre Ignatius posuit in fundatione Romani Collegij. Re carens; grandi ære obstrictus; calamitate temporum à spe subsidij exclusus; commeatu cibario domi nullo, multos tamen illic in Societatem admittebat quorum propterea crescebat.

XXII.
Qualis erga
Deum Ignatius,
ac pri-
mum de Dei
fiducia.

*Aug.l. 13. da.
ciu.c. 49.*

XXIII.
Fiducia Dei
edita ab
Ignatio ex-
pla.